In nomine domini Amen Ne facta que tractantur temporaliter a memoria decidant hominum Dignum est ut literis talia confirmantur
Nos igitur Felix viceadvocatus Johannes Drapacz Albertus Dubasz Mathias Stinar Georgius Conroth Albertus Zabloczky
Nicolaus Noszalsky et Gregorius Pistor Jurati Scabini Civitatis Vyelyczka tenore presencium quibus expedit universis et singulis
presentibus et futuris ad noticiam deducimus palam quod recognoscimus Quod nobis feria secunda proxima ante festum Sancte Margarethe
Judicium Bannitum et legale celebrantibus Ad quod Circumspecte et Honeste Domine katherina consors legitima Paulcegel de Crac
et katherina uxor Stanislai Szokol de Vyelyczka venientes et coram eodem non compulse nec coacte neque aliquo errore fraudis
circumvente et seducte quomodolibet comparentes et stantes matura deliberacione habita amicorum suorum sufficientibus et salubribus facte
consiliis sane mente et corpore bone racionis existentes per tutorem suum Nicolaum Rothificem ad hoc ordinatum factum et
constitutum Recognoverunt se Racionem alias Osthrzyszthwo quantum viginti famulorum Dimisisse quod ipsa katherina consors Paulcegel
consensu et voluntate filie eius katherine Laserte Wyssogroczka de Crac ad id assistente decem famulorum racionem et katherina
Szokolova filiorum eius leonardi et Michaelis consensu et voluntate assistente et ab eorum propinquitate recedentibus decem famulorum
racionem Nobili domino Johanni Byalkowszky tunc Judici Montium pro Septuaginta quatuor Marcis quibus pecunie in Regno
currentis in qualibet Marca quadraginta octo grossos computando cum omni Iure dominio et proprietate, uti prescripte partes sole ha
buerunt tenuerunt post avunculum suum olim Michaelem quondam nuncupatum Myloss tanquam propinque consanguinee possederunt
rite et racionabiliter fassae sunt vendidisse Eosque viginti famulos eorum et racionem per eundem tutorem Nicolaum Rothificem
ipsi domino Johanni Byalkowszky cum omni Iure dominio proprietate ipsa domina katerina Paulceglova et katherina Szokolova
perpetue resignaverunt et de eisdem viginti famulis quomodolibet condescenderunt sibi ipsis et suis consanguineis propinquis nichil
iuris dominii proprietatis in eisdem famulis et racione retinendo et reservando Dantes et concedentes ipsi Nobili domino Johanni Byal
kowszky omnimodam potestatem et facultatem eosdem famulos viginti eorum racionem cum omni Iure dominio proprietate eterne
et perpetue habendi tenendi possidendi donandi dandi commutandi alienandi et vendendi in usus suos proprios prout
ipsi Nobili domino Johanni Byalkowszky utilius comodosius et melius videbitur expedire convertendi Ipseque domine kathe
rina Paulceglova et katherina Szokolowa per eundem tutorem Nicolaum Rotificem tunc coram Judicio Bannito re
cognoverunt plenam et integram Septuaginta quatuor Marcarum a prefato Nobili domino Johanne Byalkowszky
Judice Montium reali et effectuali satisfaccione pro ipsa racione viginti famulorum tulisse levasse et recepisse Solucionem
Quam vendicionem et resignacionem rite et racionabiliter emanatam et factam decernimus habere robur perpetue firmitatis
Sigillo nostre Civitatis fecimus in testimonium communiri et appendi Actum et datum in Vyelyczka feria secunda proxima
ante festum Sancte Margarethe Anno domini Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo Septimo

7 [illegible] 20 [illegible]
[illegible]

1467.

Venditio 20 [illegible] y ostrzyszna per mulieres
[illegible]